



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 14. Iudæi Christum eradicantes, eradicati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

Vide S.
August.
in Ptal. 58.
Ioseph. l.
2. de bell.
Iud. c. 17.

testimonium essent, iuxta vaticinia Prophetarum, iam Messiam venisse, sed à Iudæis agnitum non esse; eicientes ergo Christum eiectioni sunt. Atque *Captiuorum quidem omnium*, ait Iosephus, *qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem millium comprehensus est numerus: mortuorum vero, per omne tempus obsidionis, undecies centum millia. Ite, exules, qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Inde expellimini, vnde Dominum vestrum expulistis.*

§. XIV.

Iudæi Christum eradicantes, eradicati,

Ioseph.
lib. 7. de
bell. c. 2.

13. Quia autem Iudæorum de Christo *consilium fuit, eradamus eum de terra viventium*, idè non solùm ipsi, at etiam eorum templum, & ciuitas, & Resp. est eradicata. Licet enim Titus per se, perque Iudæos, qui ad castra Romanorum confugerant, Iudæos ad deditiorem honestam sapius inuitaret, quin etiam rogaret, vt si non sui, saltem templi rationem haberent, ne irruentes illud milites inflammarent, tantum abfuit, vt ipsorum saluti consulentes audirent, etiam his omnibus superbe spretis, obstinato se animo omnia libentius experturos mala iactarunt, quàm vt se dedere

dedere vellent Romanis. Titus igitur contestatus Deum & homines, se ad urbis & templi excidium compelli. Quod & fecit inuitus; immò contra eius iussum incensum est à militum furore, ita vt nec lapis super lapidem remaneret. Incenso templo, à Tito licentia militibus data est etiam ciuitatis inflammandæ, & solo æquandæ. De quo excidio hæc Iosephus: *Postquam, quos occideret, quid ué raperet, non habebat exercitus, quòd iratis animis omnia deerant, neque enim parcendo, si esset, quod agerent, abstinuissent; iubet eos Cesar totam funditus iam eruere ciuitatem, ac templum, relictis quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phaselo, & Hippico, & Mariamne; muriq; tanto, quantum ciuitatem ab Occidente cingebat, ut esset castrum illic custodia causa relinquendis: turres autem, ut posteris indicarent, qualem ciuitatem, quamne munitissimam Romanorum virtus obtinuisset. Alium verò totum ambitum ciuitatis ita complanauerunt, diruentes; ut qui ad eam accessissent, habitam aliquando esse vix crederent. Eant nunc, & dicant: *Eradamus eum de terra uiuentium. Erasi sunt ipsi, & templum eorum; qui templum corporis Christi destruxerunt in triduo reædificatum.**

Vide Baronium qui hæc omnia fuisse recitat An. 72. Luc. 21. Ioseph. l. 7. de bell. c. 18.

ficatum. Ite Iudæi, destruite templum hoc. Quamensura mensi fueritis, remetietur vobis.

§. XV.

Iudæi, qui sanguinem Christi emerunt, lachrymas suas emere coacti.

His malis affecti Iudæi, ut saltem lacrymis, quod aliunde non possent, solamen aliquod inuenirent, consueuere, anniuersaria die, persoluto tamen pretio (cùm aliter non liceret) ea adire loca, lachrymas fundere, & miserè lamentari. Usque ad presentem diem, ait S. Hieronymus, perfracti coloni, post interfectionem seruorum, & ad extremum Filij Dei, excepto planctu, prohibentur ingredi Hierusalem: & ut ruinam sua eis flere liceat ciuitatis, pretio redimunt: ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lachrymas suas. Videas in die, quo capta est a Romanis, & diruta Hierusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & senes pannis annisq; obsitos, & in corporibus, & in habitu suo iram Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum, & patibulo Domini coruscante, ac radiante irascens eius, de Oliueti monte quoque crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi sui populum miserum, & tamen non esse miserabilem.

Adhuc

S. Hieronymus in Sophon. cap. 1.